

mam, quæ cæteris omnibus substat seu sub aliis omnibus est. Et ita in ly individua venit intelligendum individuum completum, seu totale, quod est individuum simpliciter in genere substantiæ, ut S. Thomas explicat in primo, distinctione XXIII, q. I, art. II et in hac quæstione XXIII, art. III ad IV et q. XXX, art. I ad I. Et sic intelligendo ly individuum pro individuo completo, et terminato, seu, quod idem est, incommunicabili, non convenit animæ separatæ definitio personæ, quia non est individuum completum, et incommunicabiliter subsistens, sed unibilis, et communicabilis ut forma.

IX. Ad Richardum dicimus eodem modo, quod deitas, seu hic Deus, est aliquid singulare, et per se, imo a se existens, et ipsamet essentialis existentia, sed tamen non est singulare terminatum, et incommunicabile intra se, et ita non est individuum per modum suppositi, et primæ substantiæ, sed per modum essentialiæ, et naturæ, atque adeo non convenit ei definitio personæ traditæ a Boetio, qui sumit individuum substantiam pro individuo complete, et totaliter, seu per modum suppositi. Quod amplius declaravit Richardus, loco individua ponens incommunicabilem, et S. Thomas hac quæstione XXIX, art. III ad IV adducit.

X. Ad Vallam respondetur ipsum in hoc pessime sentire, quod persona solam qualitatem significet, seu representationem, et officium. Nam ut recte observat S. Thomas loco citato in primo, dist. XXIII, q. I, art. II ad I, iudicium de nomine non debet esse secundum hoc a quo imponitur, sed secundum id ad quod significandum instituitur. Unde licet nomen personæ sit impositum a representatione, tamen est impositum

ad significandam substantiam completam in natura intellectuali subsistentem, et hoc Deo convenit. Quapropter graviter in hoc reprehenditur Valla, quod dixerit non magis in Deo esse personam, quam in brutis animalibus, ex hac pure grammaticali æquivocatione deceptus, cum expresse fides doceat, et Ecclesia definiat in Deo esse tres Personas et unam essentiam in c. Firmiter et c. Damnamus, de summa Trinitate et in Concilio Florentino, et aliis multis locis. Nec latuit Boetium hoc in quo a Valla reprehenditur, quod scilicet persona non a substantia, sed a representatione seu munere, et officio imponatur, cum hoc ipsum dicat Boetius in libro de duabus naturis paulo ante medium, quod: « Nomen personæ impositum est a personando, quia in comœdiis recitatores ad representandum aliquem, cujus gesta recitabant, larva quadam faciem velabant; et sic recitationem suam personabant. » Id ergo est a quo nomen etymologizat, sed non ad id significandum est impositum, sed ad significandos ipsos homines substantialiter in se, et hoc modo frequens est usus hujus vocis in jure civili, cum agitur de actione, seu injuria personarum, et in Scriptura, ut cum dicitur Sapient. VI: *Non subtrahet personam cujusquam Deus*, ubi nomen personæ ad omnes extenditur, et Deuter. X: *Deus qui personam non accipit, nec munera*; Act. X: *Non est personarum acceptor Deus*. Et in patribus hæc vox persona pro substantiali subsistentia sumitur, et in Deo vere ponitur, ut constat ex symbolo Athanasii: « Alia est Persona Patris, alia Filii, etc. » Et Nazianzenus ubi supra eandem vocem Athanasium approbasse refert. Et ubi habetur in symbolo: « Neque confundentes Perso-

nas, » Græce dicitur *πρόσωπον*, quæ vox ut D. Thomas docet in I, dist. XXIII, q. I, art. I, in fine corporis, derivatur, sicut persona a facie larvata, qua representabantur personæ in comœdiis. Eadem voce utuntur Tertullianus contra Praxean, Hilarius lib. de Synodis, Hieronymus epist. LVII, Augustinus lib. IV de Trinitate, c. VIII et IX, Leo papa serm. II de pentecoste, Damasus in confessione fidei ad Paulinum, Concilium Toletanum II in confessione fidei, Lateranensis in c. Firmiter, et c. Damnamus ubi supra.

XI. Concludimus ergo de fide esse dari in Deo Personas, nec sine ipsis stare mysterium Trinitatis, eisque recte adaptari definitionem Boetii, quia sunt supposita, seu primæ substantiæ in natura intellectuali divina. Solum advertendum est ne nimis scrupulo vocum hæreamus, cum dicitur subsistentia, suppositum, hypostasis, quod totum sonat aliquid substans, et subjectum, sustentans formas supervenientes, quæ accidentales sunt, quod tamen in Deo non invenitur, quia accidentium capax non est, non ob hoc, significatum istorum nominum deesse Deo. Dicimus enim ex D. Thoma in hac quæstione XXIX, art. III ad III, et in I, distinct. XXIII, q. I, art. II ad ultimum, quod hypostasis, et suppositum non sunt in Deo quantum ad munus sustentandi accidentia, a quo nomen illud impositum, et originatum est, sed quantum ad rem significatam, scilicet completum subsistens in natura rationali. Et ob id Richardus in sua definitione, loco individua substantiæ, posuit incommunicabilem existentiam ad designandum substantiam in Deo, non ut substantem aliis, sed ut existentem in se, et per se incommunicabiliter, et complete. Distinguuntur autem ista nomina hypostasis, subsistentia,

suppositum, res, naturæ, etiam in creatis non ex parte rei significatæ, nec tamen sunt synonyma, quia habent originem ex diversis principiis, et possunt in usum significationemque illorum venire, si aliquis velit sic applicare, et uti illis pro significatione talium formalitatum seu munerum, scilicet substandi aut per se existendi; et sic non habent usum synonymum, licet eandem rem significant.

QUID SIT PERSONALITAS IN COMMUNI, QUID PERSONALITAS DIVINA, ET QUOMODO TRIBUS PERSONIS SIT COMMUNIS?

XII. Personalitas, cum sit id quod formaliter constituitur persona, nihil aliud importat in natura rationali, quam subsistentia, et suppositalitas in quacumque substantia. Est enim terminus, seu complementum substantiæ, qua redditur ultimo completa, et terminata, sicut quantitas terminatur superficie, linea, punctis. Et quidquid illud sit, constat terminum hunc, seu subsistentiam non pertinere ad prædicatum constitutum naturæ, sed constitutæ terminativum. Constat hoc manifeste: nam in Christo Domino est integra humana natura in ratione naturæ: nam est vere, et integre homo, non esset autem si aliquod constitutivum prædicatum illi deesset: variaretur enim essentia; et tamen suppositalitem seu substantiam creatam non habet. Ergo non pertinet subsistentia ad constitutionem naturæ, sed ad terminationem naturæ constitutæ.

XIII. Quid autem sit hoc quod præter naturam importat subsistentiam, et suppositalitem, aut personalitatem, an sit aliquid reale, an aliquid rationis, an modus, vel quid tandem sit, diximus præcedenti tomo, disp.

IV, art. 1, circa secundam difficultatem. Ex hoc enim dependet scire quod significet, et pro quo supponat ly individua substantia in definitione personæ. Nam quidam nomine individua intelligunt relationem rationis, scilicet subijcibilitatem ad prædicata superiora, quod tribuitur Durando in 1, dist. xxiii, q. 1, num. xxiv. Itaque sumit ly individua logice, non physice. Individuum autem logice sumptum contraponitur universali logice sumpto. Universale autem logicum dicit relationem ad inferiora per modum superioris, et prædicabilis. Individuum ergo logicum dicit relationem per modum inferioris, et subijcibilis; et sic in definitione personæ individua substantia est substantia ut subijcibilis prædicatis superioribus.

XIV. Alii dicunt non sumi ly individua logice pro secunda intentione, seu pro relatione rationis, sed pro prima intentione, seu pro eo quod habet in re individuum substantiale. Et dicunt quod in re non addit supra naturam aliquid positivum, sed aliquid negativum, scilicet incommunicabilitatem, seu negationem communicationis, non solum per modum universalis ad inferiora, sed per modum partis incompletæ ad totum; debet tamen connotare aliquid positivum supra quod fundetur ista negatio, sicut in divinis connotat relationem in qua fundatur ista negatio incommunicabilitatis. Et hæc est opinio Scoti in 1, dist. xxv, q. 1. Alii dicunt ly individua in definitione personæ, atque adeo ipsam personalitatem seu supposititalitatem importare aliquod positivum superadditum ipsi naturæ, illamque terminans, et complens, quæ est communior sententia, et inter Thomistas fundatissima, ut citato loco ostendimus. Revera enim persona seu suppositum est aliquid positivum vere, et realiter in-

ventum a parte rei. Non potest autem aliquid a parte rei repertum formaliter, et per se primo constitui ente rationis quod est negatio, aut intentione secunda, quæ solum convenit rei in esse cognito, si quidem convenit esse personam a parte rei, et Christo convenit a parte rei non habere personam creatam, non solum in esse cognito. Unde S. Thomas hic quæst. xxx, art. iv, docet nomen personæ, non esse nomen intentionis, sed rei. Et idem affirmat in 1, dist. xxiii, et dist. xxv. Bene verum est quod in aliquo constituto reali invenitur aliquando aliqua negatio, seu privatio, vel aliquid rationis includit tamquam connotatum, seu modum, supponendo tamen formam realiter, seu a parte rei constituentem. Et sic cum persona a parte rei constituatur, aliquid reale assignari debet pro formali constituyente, licet fundet illam negationem incommunicabilitatis, et illam secundam intentionem subijcibilitati. Non potest autem illud formale constituens suppositum, seu personam esse natura sub conceptu naturæ, cum sit tota, et integra natura, quoad prædicata constitutiva in humanitate Christi, et non sit persona creata: ergo aliquid positivum, et reale est id quod persona addit super naturam.

XV. An vero illa positiva realitas sit modus, seu aliquid solum modaliter distinctum a natura, an aliquid distinctum tamquam res a re, in citato loco disp. iv, ostendimus ex mente D. Thomæ et Cajetani et aliorum Thomistarum, et ex ratione, esse modum substantialem superadditum naturæ, reductiveque pertinentem ad prædicamentum substantiæ, tamquam modus terminans, et complementum naturæ, sicut punctus est reductive in prædicamento quantitatis ut terminus lineæ, et modus intensionis et remissionis re-

ductive in prædicamento qualitatis pro formis intentionis capacibus. Unde dicit S. Thomas in hac quæstione xxx, a. 1 ad iii, quod: « Individuum ponitur in definitione personæ ad designandum modum subsistendi, qui competit substantiis particularibus. » Competit autem substantiis particularibus individuari per se, non sicut accidentia quæ inveniuntur per aliud, in quo sunt, scilicet per subjectum, ut dixerat in corpore articuli. Et partes individuuntur, non per subjectum in quo sunt, sed per totum quod componunt.

Et si inquiretur, quem effectum faciat modus iste, seu realitas quam addit personalitas seu supposititalitas super naturam, respondeo duos effectus formales præstare, quorum unus aliquando separatur ab alio, si totaliter, et adæquate non sit completum individuum: est enim modus existendi per se, et est modus existendi incommunicabiliter alteri supposito quatenus habet statum totius ut distinguitur a parte, quæ communicabiliter se habet ad totum. Et anima rationalis separata, licet per se existat, non tamen ut totum incommunicabile; et sic non est persona; id autem quod est persona, et suppositum incommunicabiliter se habet, et tamquam quoddam totum in se clausum, et completum. Et vocatur subsistentia, quatenus per se existit, hypostasis vero, seu suppositum, quatenus aliis accidentibus, aut prædicatis supponitur, et sustentat ea, ut docet S. Thomas in hac quæstione xxix, art. ii, in corpore. Et similiter declarat istos duos effectus modi subsistentiæ, seu supposititalitatis completæ in aliis locis. Dicit enim in quæstione ix de potentia, art. ii: « Persona significat naturam cum quodam modo existendi, qui modus est esse per se existens. » Idemque habet in 1, dist. xxiii, q. 1,

art. 1 ad ii. At vero in hac quæstione xxx, art. iv ad ii, dicit quod: « Licet persona sit incommunicabilis, tamen ipse modus existendi incommunicabiliter potest esse communis multis. » Quare subsistentia, seu supposititalitas adæquate sumpta hos duos effectus importat, scilicet facere, per se existere, et ultimo completum, et incommunicabile redere subjectum: quia iste secundus effectus necessario petit et supponit primum: nec enim potest incommunicabile esse, quod per se non existit, sed in alio: licet aliquando inveniatur aliquid inadæquate habere istum modum subsistendi, solum quoad primum effectum existendi per se, non quoad secundum existendi incommunicabiliter, ut anima separata per se existit, et non est suppositum seu persona, quia communicabilis est. Ex eo autem quod existit per se, sequitur quod possit sustentare accidentia in esse, et substare illis continendo in esse, etiamsi incommunicabile suppositum non sit, sicut anima sustentat sua accidentia, quia per se existit, licet non suppositum.

XVI. His autem explicatis circa rationem personæ seu supposititalitatis, et subsistentiæ in communi, restat videre, quid in Deo personalitas, seu ratio personæ formaliter, et directe importet relationem an essentiam, loquendo de subsistentia, seu modo personalitatis, non solum inadæquate, et quoad effectum existendi per se, sed adæquate, et quoad effectum etiam incommunicabilitatis. Nam utrum inveniatur in hoc Deo, seu in deitate secundum se antecederet ad Personas relativas subsistentia absoluta quoad effectum existendi per se, sequenti articulo disquiretur.

XVII. In hoc ergo puncto manifestissima est sententia D. Thomæ in hac quæstione xxix, art. iv, ubi con-

cludit s. doctor quod : « Persona divina significat relationem ut subsistentem, » et hoc est significare relationem per modum substantiæ, quæ est hypostasis subsistens in natura divina, licet subsistens in natura divina non sit aliud, quam natura divina, et secundum hoc verum est, quod hoc nomen persona significat relationem in recto, et essentiam in obliquo, non tamen relationem in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis. Hoc est non in quantum exercetur relatio circa terminum, sed ut tenet se ex parte respicientis, seu subjecti, vel ipsa potius relatio subjecto non indiget, quia subsistens est.

Ratio est quia sola relatio in divinis incommunicabilitatem fundare potest ad suum correlativum, eo quod cum ipso oppositionem habet, reliqua præter relativas oppositiones, unum sunt in Deo. Similiter est terminus substantialis, ipsamque naturam divinam substantialiter reddit terminatam, quia relatio illa accidens non est, nec etiam est natura, aut prædicatum constitutum, et essentielle naturæ, cum tota natura secundum conceptum naturæ, communicetur Filio non communicata relatione Patris : ergo est terminus, seu modus naturæ substantialiter, quia præter accidens, et prædicata naturæ seu quidditatem naturæ, aliud non restat. Et hoc ipsum ex suis visceribus exigit relatio quando non est accidentale aliquid, sed substantiale, quia talis substantialitas non importat substantiam pro essentia, quia substantia pro essentia communicatur Personis, et est una in tribus, non autem relatio, sed importat substantiam pro existentia per se, si quidem non est accidens, et convenit illi terminatio, quia incommunicabilitas ad ulteriorem termi-

num, et cum sit] incommunicabilitas substantialis, est terminatio substantialis : sistit enim in substantia, quidquid substantialiter incommunicabilitatem ponit. Ergo habet relatio subsistens quidquid requiritur, ut sit terminus substantialis incommunicabiliter respectu ejus cui opponitur.

XVIII. Ex quo colligitur tres relationes personales, seu proprietates, scilicet paternitatem, filiationem, et spirationem passivam, quæ incommunicabiles, et oppositæ sunt esse tres subsistentias, et tres personalitates. Sunt enim constitutivæ trium Personarum distinctarum in esse personali : sunt ergo tres personalitates : nam personalitas est forma constitutiva personæ in esse, et ratione personali : sunt ergo in Deo tres personalitates, sicut sunt tres Personæ. Personalitas autem, seu suppositalitas est subsistentia in natura rationali : ergo si sunt tres personalitates, sunt tres subsistentiæ. Nec nomen subsistentiæ est nomen absolutæ perfectionis, sed terminationis naturæ, quæ terminatio in Deo relativa est. Licet enim subsistentia videatur involvere existentiam, quia subsistentia dicitur existentia per se, et subsistens per se existens, tamen non est subsistentia ipsa existentia directe, sed modus ejus, id est, perseitas existentiae : per se autem dicit modum quo habetur illa existentia, scilicet non in alio, nec dependentem ab alio, ut a subjecto sustentante, sed sustentatam in seipso, seu terminatam in se, et incommunicabilem, si completa, et totalissit. Quare subsistentia modum dicit terminationis, atque adeo magis ad incommunicabilitatem pertinet, quia ubi est incommunicabilitas, est terminatio, et perseitas : cum ergo relationes faciant incommunicabilitatem substantialem, quia oppositionem substantialem dicunt,

consequenter subsistentias multiplicent, quantum ad modos perseitatis, et terminationis, licet neque existentiam, neque substantiam multiplicent, quæ sunt modificata per modum, et perseitatem subsistendi. Et patres communiter subsistentias plurali nomine significant, præsertim post sedatam antiquam litem de differentia hypostasis, et usiæ, et tandem hypostasis pro subsistentia, seu supposito, usia pro essentia, sicut et substantia pro essentia communiter acceptata est. Unde in epistola Agathonis papæ in sexta Synodo, actione iv, dicitur : « Esse in Deo trium subsistentiarum, seu Personarum unam substantiam, » vel, ut antiqua editio habet : « Unam subsistentiam, » et in epistola Sophronii, quæ in eadem Synodo, actione vi, recitata, et acceptata fuit sæpius plures subsistentiæ Deo adscribuntur. Et Martinus I, in Concilio Lateranensi, consultatione v, canone I, explicavit : « Deum esse unum in tribus subsistentiis : » Quare recte Justinianus imperator in edicto fidei ad Joannem II, dixit : « Omnes sancti patres consonanter nos docent, aliud esse naturam seu substantiam, et formam, aliud subsistentiam sive Personam. » Subsistentia ergo personaliter, et complete sumpta multiplicatur in Deo, licet aliqui id negaverint, sed male. An vero præter personales, et completas subsistentias relativas, detur aliqua absoluta in Deo incommunicabilis tribus Personis, sequenti articulo dicitur.

XIX. Sed objicies primo : Quia relatio non potest constituere in Deo omnes Personas, præsertim primam Personam Patris, quia debet persona præsupponi generationi, seu origini, cum ab illa prodeat generatio, ut a principio generante. Relatio autem paternitatis supponit originem, et generationem, quia super illam

fundatur : ergo ante relationem est Persona, sicut ante originem.

Secundo, quia persona debet constitui formaliter per incommunicabilitatem, vel per relationem ut exercitam ad terminum, non ut subsistentem : ergo male constituitur per aliquid positivum, vel per relationem ut subsistentem. Antecedens probatur, tum quia persona in tantum constituitur relatione, in quantum est opposita, est autem opposita prout exercens respectum ad alterum, non prout in se subsistens, aut ut hypostasis : ergo ut relatio exercita constituit personam : vel si non constituit, ut exercens respicientiam, sed ut subsistens : ergo ratione ipsius in constituit, non ratione ipsius ad, quia subsistentia convenit relationi divinæ, prout correspondet inhærentiæ in relatione creata, inhærentia autem pertinet ad ipsum in, in relatione creata : ergo, et subsistentia in divina. In autem magis pertinet ad esse, et ad absolutum conceptum essentiae, quam ad relativum. Tum quia illud formaliter constituit personam, quod formaliter constituit individuum, cum in definitione personæ ponatur individua substantia. Formale autem constitutum individui est incommunicabilitas, vel relatio subicibilitatis : videmus enim quod per incommunicabilitatem primo, et per se differt prima substantia a secunda, seu ab universali. Videmus etiam, quod in diversis naturis per diversa principia fit individuatio, sicut in substantia corporea per materiam signatam, et divisam quantitate, in Angelis per irreceptibilitatem formæ, in Deo per relationes ; formale vero in omnibus istis est esse incommunicabilem inferioribus, quia non habent illa, et subicibilem superioribus, quia prædicantur de illa. Ergo id formaliter erit persona.

Tertio : Persona potest accipi ut